

rarum cōfessione dissentiens, opinio omnibus Ecclesiis tanquam oraculum obtruditur; vel cū libertas philosophica eripitur homini libero, dum ille fascinator auctoritate alicujus philosophi. 8. *Cū vetus lex vel cōstitutio adhibetur, qua per novam est abrogata.* Nam posteriores cōstitutiones sunt potētiores prioribus, seu, Posteriora jura derogant prioribus. 9. *Cū quod plures dicunt sine ratione, imò contra rationem, præfertur illi, quod pauciores dicunt rationabiliter.* Quod major pars definit (vulgo dicitur) præferendum est definitioni minoris partis. Hoc non est verum universaliter. Nam multitudo errantium non parit errori patrociniū. Tum demum valet, quando plures & ii quidem sapientiores certis rationibus persuasi aliquid statuerunt. 10. *Cū vetustas ita amatur & obtruditur, ut non liceat in illam inquirere.* Hic teneatur regula: *Error vetustatis* (qui evidenter ostendendus est) *non præjudicat veritati.* 11. *Cū ab auctoritate cōcluditur negatè:* ut, Galenus nihil scripsit de morbo Gallico. E. hic morbus nō est. Veteres Geographi nihil scripserūt de antipodib. vel novo orbe. E. antipodes & novus orbis non sunt. Non valent hę argumentationes. At hoc sequitur: Nuspiā in scripturis legimus, nos justificari corā Deo operibus legis. E. non justificamur operibus legis. Rursus hoc non sequitur: Non leguntur in N. T. infantes Christianorū esse baptizati. E. non fuerunt baptizati. Ratio petenda est ex hoc canone: *Non scriptū ejus qui potuit, voluit, debuit, scivit scribere, vim & robur habet testimonii negando: ejus autē qui vel non potuit, vel noluit, vel nō debuit, vel nescivit, vim nullam habet negando.* Sic veteres nihil sciverunt de novo orbe. E. illorum tēstimonium non est aptum ad negativè concludendum. Apostoli nihil scripserunt de baptizatis infantibus Christianorum; quia noluerunt. Noluerunt, quia non opus fuit historicè illa persequi, cū manifesta dicta reliquerint, è quibus discere possumus quid facto sit opus. 12. *Cū contra testimoniū sensuum externorū, itemq; conscientia, aliquid asseritur:* ut, cū Papistæ in Eucharistiā panē & vinū quoad substantiam aboleri asserunt; quæ tamen videtur, palpatur, gustatur. Sic cū Epicurēi quidā negant esse Deū, contra quàm dicitur conscientia. 13. *Cū testimoniū mutuum rejicitur simpliciter:* id quod non rectè fieri vel exinde patet, quod